



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus LXXI. De Voti Dispensatione, & Commutatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**

C A S U S LXXI.  
De Voti Dispensatione &  
Commutatione.

**Z**oilus Pastor ab Episcopo interrogatur : 1. An dispensatio absque causa sit licita & valida. 2. Quae sint causae dispensandi. 3. Quid in dubio aut in casu, quo absque omni causa bona fide dispensatum est. 4. An dispensare possint Papa, Episcopi, Praelati Regulares, Abbatissa, an cum Novitiis & secumipsis. 5. An Confessarii Regularium. 6. An cum absentibus & extra confessionem : & an idem queant Parochi. 7. Quae sint vota reservata Papae. 8. An inter haec numerentur vota dubia, conditionata, metu extorta, poenalia, disjunctiva, non Deo sed Sanctis facta. 9. An votum reservatum ab Episcopo vel Regularibus quoad circumstantias dispensari possit. 10. Vel in voto castitatis edito stante matrimonio. 11. Quid si votum reservatum, sit commutatum in non reservatum. 12. An reservatum possit irritari. 13. An facultas Generalis extendat se ad reservata, item an ad ea, quae post concessionem sunt emissa vel etiam ad juramenta. 14. An votum castitatis dispensatum soluto matrimonio reviviscat, item an Episcopus in casu necessitatis dispensare queat in reservatis. 15. An etiam Regulares. 16. An & ex qua causa fieri possit voti commutatio. 17. Quinam vota commutare possint & quid de votis in favorem tertii. 18. An extra confessionem. 19. An post commutationem possit rediri ad votum prius. 20. An omnia vota commutari possint in votum Religionis. 21. An Professio Religiosa extin-

quod omnia vota, etiam Religionis strictioris. 22.  
 Quid de votis pœnalibus. 23. Quid de eo, qui  
 vovit non petere dispensationem? Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit dispensatio voti?

1. R. Est remissio totalis obligationis ob justam causam facta ab eo, qui in personam voventis habet jurisdictionem spirituales, est in re omnium. Dicitur 1. *Remissio totalis obligationis*, in qua dispensatio distinguitur à commutatione, in qua obligatio ex toto non tollitur, sed saltem ex parte in aliam materiam transfertur. Dicitur 2. *Ob justam causam*; nam dispensatio in votis sine causa non tantum illicita est, sed & invalida, *S. Th. q. 88. a. 1. 2. ad 2.* Fit enim à Superiore Ecclesiastico, qui nomine Dei relaxat promissionem DEO factam; Deus autem dedit hanc potestatem non in destructionem, sed ædificationem, exigente id necessitate vel utilitate subditorum; aliud est de irritatione, quæ fit nomine proprio ab habente potestatem dominativam in personam voventis vel in materiam voti; dominio autem vel jure suo validè quis uti potest, etiam sine causa.

QUÆR. II. Quæ sint causæ legitimæ dispensandi?

2. R. Sunt præcipuè quatuor: 1. *Imperfecta delibatio* aut dubium de illa, sive illud contingat ex defectu ætatis, sive ex mentis turbatione, aut etiam ratione metûs, doli vel erroris accidentalis; similiter sufficit quodcumque prudens dubium de valore voti.

2. *Notabilis difficultas* exequendi rem promissam, etiam si non sit tanta, ut votum irritet, sufficiet tamen ad dispensationem; sola autem, major commoditas aut inclinatio ad aliud opus  
 pium.

22. qu  
pium, et si satis sit ad votum commutandum, non tamen ad dispensandum.

3. *Damnum spirituale vel corporale*, sic dispensatur in voto continentiae vel non petendi debitum, si ob nimiam proclivitatem in Venerem sit periculum lapsus aut executio voti sit subjecta plurimis molestiis & scrupulis; item si immineat ex voto damnum temporale, v. g. interitus illustris familiae, vel ex nimis eleemosynis exhauriretur res domestica, &c. in his & similibus dispensatur Romae, saltem aliqualem adjungendo commutationem in aliud opus pium.

4. *Majus bonum* ex dispensatione proventurum, v. g. major DEI honor, major Ecclesiae vel Reip. utilitas; quod majus & arctius est votum, eò major requiritur causa dispensandi, & si una causa se sola non sufficiat, sufficiet conjuncta cum aliis, *Suar. l. 6. de vot. c. 17. Reiffenst. l. 3. tit. 34 à num. 22. & ibid. Leuren. q. 903.* In dubio, an adsit causa sufficiens, semper miscenda est commutatio in aliquid operis pii, quod defectum causae suppleat, *Suar. l. c. Castrop. d. 2. pun. 9. n. 17.* Hinc Confessarii privilegiati raro debent ex toto dispensare, nisi quando dubium est de voti valore: si dispensatio bona fide facta est, & ex post reperiatur, non adfuisse causam legitimam, *Sporer n. c. 3. n. 45. ex Sanch, & Less.* dicit, praesumendum esse de bonitate Dei, quod dispensationem suo nomine bona fide factam acceptet & ratam habeat. At probabilius contradicunt *Salas Castrop. num. 4. Leur. l. c.* quia jura & omnes DD. ad valorem dispensationis in voto requirunt causam legitimam: ergo si certò constet, talem non adfuisse, di-

pensatio est nulla ; deinde talis præsumptio est ad minus incerta & obligatio voti est certa : ergo non excusat. Econtrà si constet adesse causam certò sufficientem , Superior plerumque dispensare obligatur , vel maximè si id exigat bonum commune , quandoque etiam negare poterit , si nempe periculum sit , ne vilescat votorum obligatio vel dispensatio.

QUÆR. III. Quinam habeant potestatem in votis dispensandi ?

4. R. 1. Respectu totius Ecclesiæ in omnibus votis dispensare potest Sum. Pontifex.

2. Dispensare possunt Episcopi in omnibus votis suorum subditorum Papæ non reservatis,

3. Idem possunt Prælati Regularès exempti & omnes Superiores locales respectu suorum Religiosorum & in eorum absentia Vicarii , si non ordinariâ , saltem potestate sibi ex consuetudine delegatâ , *Sanct. l. 4. mor. c. 49.* Prælati Regularium non exemptorum id jure communi non possunt, nisi quatenus ex consuetudine vel Episcopi commissione illis concessum est. *Si dicas* : potestas dispensandi in Prælatis Regularium videtur supervacanea , eò quòd omnia eorum vota vel extinguantur per Professionem , vel post Professionem emissa à Prælatis irritari possint potestate dominativâ. R. N. ass. nam votum ingrediendi Religionem strictiorem à Superioribus nequit irritari , benè tamen dispensari , ut probat *Sanchez. c. 41.* idem docet *Suar.* de voto approbato à Prælato Superiore. Item Prælati in votis Novitiorum dispensare possunt , quia in favorabilibus gaudent privilegiis sui Ordinis , *Castropalao p. 10. num. 3. Schmalzger. num.*

num. 105. nequeunt tamen eorum vota irritare ,  
ut dixi *Cas. præc. num. 6.*

4. Abbatissæ suarum vota quidem irritare pos-  
sunt propter potestatem dominativam , quam in  
suas habent per votum obedientiæ , non tamen  
dispensare , quia carent jurisdictione spiritali.

5. Superiores habentes potestatem dispensan-  
di ordinariam , etiã secum dispensare possunt  
saltem mediatè , dando jurisdictionem Confes-  
sario vel alteri , ut contra *Suar.* latè probat *Sanch.*  
*l. 3. de mat. d. 3. totâ.*

6. Confessarii approbati Ordinum Mendican- 5.  
tium , & cum iis communicantes habent privile-  
gium pro foro conscientiæ dispensandi in omni-  
bus votis & juramentis sæcularium , in quibus E-  
piscopi dispensare possunt jure ordinario ; id enim  
Mendicantibus concessit *Inn. VIII. Eug. IV. Bene-*  
*dictinis Mart. V. testibus Tamb. Herinx, Dian. p.*  
*11. t. 8. R. 16. Sannig, de vot. c. 43. n. 2. Gobat. t.*  
*10. n. 603. Sporer n. 54. Castropalao p. 14. n. 7.*  
*Reiffenst. n. 39.* Dixi : in votis , in quibus Epi-  
scopi dispensant potestate ordinariâ ; nam si Epi-  
scopi in casu necessitatis , quando non datur recur-  
sus ad Papam , in votis Papæ reservatis dispensant,  
id non faciunt potestate ordinariâ sed delegatâ ,  
ideoque hoc non poterunt Confessarii Mendican-  
tium , ut habet communis *cum Rodrig. Sanch.*  
*Suar. c. 26. n. 16. Barb. 2. p. de pot. Ep. alleg. 37.*  
*num. 14.* Nihilominus probabile videtur etiam  
tali casu Mendicantes pro foro conscientiæ di-  
spensare posse , ut dicam *inf. num. 15.* Quod  
autem *Ordo Premonstratensis* in privilegiis com-  
municet cum Mendicantibus docet *Barb. l. 1.*  
*juris Eccl. c. 41. num. 231. Tamb. to. 1. d.*  
*12. q. 1.* Et ita definitum est in Capitulo Ge-

nerali ejusd. Ordinis Anno 1660. & constat ex amplissimo Indulto Urb. VIII. Lotharingis concessio.

6. 7. Episcopi & Regulares privilegiati conveniunt in hoc, quod utriusque possint vota non reservata dispensare & commutare, etiam extra Confessionem & cum absentibus, quia pro neutris ullo jure hoc exercitium restringitur ad forum Sacramentale, aut ad solos presentes: in hoc differunt, quod Episcopi hanc suam potestatem utpotè ordinariam alteri delegare possint, non item Regulares cum sint delegati, e contra Regulares possunt exercere sua privilegia circa omnes fideles ad ipsos undequaque venientes; agunt enim nomine Sum. Pontificis; Episcopi verò, quia agunt per jurisdictionem propriam non possunt eam ultra suos diocesanos extendere, *Sanch. c. 43. Sporer n. 78.*

8. Parochi quamvis ex consuetudine possint dispensare in jejuniis & operibus servilibus, non tamen in votis aut juramentis, *Tamb. La Croix sup.*

QUÆR. IV. Quid circa dispensationem in votis reservatis;

7. R. I. Quinque sunt vota soli Papæ reservata, adeoque ab Episcopo vel Regulari privilegiato non dispensabilia, nisi in privilegio specialiter exprimantur; ut 1. *Votum* integræ & perpetuæ castitatis, nam votum castitatis sub obligatione solum veniali emissum, aut ad tempus, votum non petendi debitum conjugale, *Votum* Virginitatis solum intendendo integritatem claustris virginis, votum non nubendi, votum non polluendi, non fornicandi, mulierem non tangendi, & his similia, non sunt reservata, quia non sunt

sunt

sunt votum integræ castitatis, de qua sola reservatio utpote odiosa intelligi debet. Idem est de voto suscipiendi Sacros Ordines, quia non est directè ad castitatem, sed ad Statum Clericalem, cui votum castitatis annexum est, *Sanch. Suar. l. 9. c. 25. Laym. c. 8. num. 8. Barb. numer. 19. 2. Votum Religionis approbatæ 3. Votum peregrinandi ad S. Sepulchrum Hierosolymitanum 4. Peregrinandi Romam ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli. 5. Peregrinandi Compostellam ad S. Jacobum, c. ex multa, c. super his de vot.*

§. II. Cùm reservatio sit otiosa utpotè restringens potestatem ordinariam, strictè est interpretanda, ideòque non censentur reservata, sed ab Episcopo & privilegiatis dispensabilia sunt.

1. Vota, de quibus dubium est, an sint valida aut reservata, quia reservatio non extenditur nisi ad casus certos, *Sanch. Castropalao p. 12. n. 8.* Idem est de dubio, an promissio fuerit deliberata; ex quo capite votum castitatis vel Religionis ab impubere emissum non esse reservatum docet *Viva q. 12. a. 2.* quia præsumitur adfuisse imperfecta deliberatio; idè enim impuberibus prohibetur matrimonium, *c. attestationi de spons. imp.*

2. Vota conditionata, v. g. voveo castitatem, Religionem, si sanitati restituar, si pater periculum evaserit, idque non tantùm antè, sed etiam post impletam conditionem, quia non sunt perfectè libera; fiunt enim metu instantis mali, & quæ ab initio non sunt reservata, etiam non fiunt expost & in dubio non censentur reservata, *Gomez, Sanch. l. 4. mor. c. 20. n. 98. Bellegamb. p. 3. sect. 13. q. 2.* idque tenet, etiamsi post impletam



conditionem fuissent confirmata, quia confirmatio cadit super idem votum, prout à principio editum, nisi nunc esset editum independenter à primo voto, *Dian. p. 6. t. 8. R. 16. Wiestner num. 73.*

3. *Vota injusto metu* etiam levi extorta, quia non sunt perfectè libera, *Illsung. t. 5. n. 156. Reifn. fenst. n. 30.* idque etiam tenet de metu intrinseco, ut si quis voveat Religionem metu periculi, quia nec ista vota sunt perfectè libera, nec directè intenditur materia voti, sed evasio periculi, & verè sunt conditionata, *Sanch. Illsung. l. c.*

4. *Vota pœnalia*, v. g. voveo castitatem, si iterum blasphemavero, Religionem, si me inebriavero, ita ut dispensabilia sint etiam secutà blasphemiam vel ebrietate, quia ista vota non sunt perfecta, cum non fiant amore virtutis, castitatis vel Religionis; sed voluntas eas potiùs refugit, quia earum timore vult se detererere à blasphemiam vel ebrietate, *La Croix n. 544.*

5. *Votum disjunctivum* continens unam partem non reservatam, v. g. voveo Religionem vel ferre cilicium: *Quia in alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri, Reg. 70 in 6,* quod verum est, etiam si cilicium fieret impossibile, & jam statuisset Religionem ingredi, *Belleg. l. c. Sporer n. 60. La Croix n. 548.* idem est, si vir nobilis metu naufragii Deo promittat actum heroicum, si evadat, puta vel ingredi Religionem, vel ducere virginem pauperem & ignobilem; nam præterquam, quòd hoc votum non sit perfectè liberum, est disjunctivum, & quòd ad unam partem non reservatum, imò quòd ad promissionem matrimonii forsan invalidum, eò quòd non sit de meliori bono secundum dicta *Cas. 68. num.*

*nam. 5.* ideoque ex triplici capite hoc votum erit dispensabile ab Episcopo vel Regularibus.

6. Si votum non sit directum ad Deum, sed tantum ad B. V. vel Sanctos, ita ut vovens non cogitaverit de promissione Deo facienda, nec verba voventis explicitè significant aliquam relationem ad Deum, ut sit, dum puella B. V. devota dicit; Tibi Domine meæ promitto perpetuam virginitatem; tale votum probabiliter non est reservatum, *Gobat, Sporer n. 58. Reiffenst. n. 29.*

7. Votum quoad substantiam reservatum potest ab Episcopo vel Regulari privilegiato dispensari quoad accidentia, v. g. vovisti peregrinari Romanam nudis pedibus, dispensari potest, ut eas calcetis vel eques; vovisti statim ingredi Religionem strictiorem, dispensari potest ab Episcopo vel Regulari, ut eas post aliquot annos, vel ut ingrediaris minus strictam, *Less. Nav. Allung. n. 145. Castropalao p. 11. n. 4.*

8. Si post consummatum matrimonium una conjux sine alterius consensu voveat omnimodam castitatem, hoc votum non est perfectum, quia adhuc tenetur reddere debitum, ideoque nec est reservatum: si post contractum, sed necdum consummatum matrimonium ejusmodi votum edatur, cum voluntate ingredi Religionem, erit votum perfectum & reservatum, idem est, si mutuo & irrevocabili consensu castitatem voveant, *Sanchez. Belleg. l. c.* Si verò maneat cohabitantes cum periculo incontinentiæ, Episcopus dispensare poterit, ut statim dicetur.

9. Votum reservatum, postquam est commutatum in aliud non reservatum, v. g. castitas in cilicium perpetuum, cilicium non manet

net reservatum, nec in odiosis tenet Regula, quòd surrogatum sapiat naturam illius, cui surrogatur, *Suar. c. 20. num. 15.* ne tamen temerè in voto surrogato dispensetur, vel nimium remittatur, interrogandum erit, quale fuerit primum votum.

12 10. Et si vota reservata non possint commutari vel dispensari nisi à Papa, possunt tamen irritari ab habente potestatem dominativam, quia includunt conditionem, si ille, cui dominativè subjectus sum, consentiat, *Sanch. Diana p. 1. t. 11. R. 84.* unde si impubes Religionem vovit, poterit hoc votum irritare: pater vel tutor, aut in horum defectu mater, ut dixi *Cas. 70. n. 11.*

13 11. Generalis facultas dispensandi omnia vota non comprehendit reservata, quia quæ specialiter reservantur, debent in concessione privilegii specialiter exprimi: si concedatur facultas ad omnia vota, exceptio castitatis & Religionis, possunt dispensari vota trium peregrinationum, quia exceptio firmat regulam in non exceptis, *Suar. c. 40. num. 19. Belleg. sup.* Facultas concessa extendit se ad omnia vota ante & post concessionem emissa, quia favores latam patiuntur interpretationem, *Suar. c. 13. Castro-palaop. 14 n. 6.*

12. Reservatio etiam extenditur ad juramenta in eadem materia, intellige, si fiant Deo & non homini, tunc enim includunt votum seu promissionem Deo factam, *Illsung. num. 7. Belleg. sup. 12. q. 1.*

14 R. III. In votis reservatis per se solus Papa dispensare potest: si tamen non dispense simpliciter, sed tantum ad certum finem, v. g. in castitate, in ordi-

ordine ad matrimonium, soluto matrimonio re-  
viviscit votum, nisi aliud in dispensatione expres-  
sum fuerit. Dixi, *per se*, nam per accidens, quan-  
do urget gravis necessitas, & Papa adiri non po-  
test per epikeiam, seu ex præsumpta Papæ licen-  
tia in reservatis dispensat Episcopus etiam præ-  
sente Nuntio Apostolico, nisi hic specialem ha-  
beat facultatem circa reservata, tunc enim non  
esset necessitas, & Pontifex in suo legato adiri pos-  
set, *Sanch. Rodriq. Sylv. Nav. c. 26. n. 9. Castro-  
palao p. 12. n. 4. Sporer. n. 71.* Ratio est, quia præ-  
sumi non potest, quòd Papa cum periculo anima-  
rum sibi dispensationem in casu necessitatis refer-  
vare velit, ut si sit periculum incontinentiæ, scan-  
dali aut matrimonium sine gravi sponsæ vel spon-  
si eorumque familiæ dedecore differri non possit, si  
deflorata sit diffamanda, & proles habenda illegi-  
tima, nisi pater moriturus matrem mediante di-  
spensatione ducat, &c. Duo tamen hic veniunt no-  
tanda: 1. Quòd Episcopus in reservata non plus  
possit, quàm præcisè exigat necessitas; hinc si di-  
spenset ad matrimonium, dispensatus adhuc vi vo-  
ti obligatur, se non polluere, non fornicari, ab-  
stinere à secundo matrimonio, *Suar. c. 26. n. 13.  
Barb. sup. numer. 13.* 2. In tali necessitate di-  
spensare non possunt Mendicantes, ut dixi  
*numer. 5.* quia vota verè manent reservata, &  
præsumi non potest, quòd Papa quòad Regu-  
lares consentiat, nam ad succurrendum pe-  
riculo animarum, sufficit, quòd Episcopi  
tunc dispensare valeant DD. c. c. & commu-  
nissima apud *La Croix num. 563* Nihilomi-  
nùs *Reiffenst. num. 40.* citans *Basseum, Cru-  
sers*, quos sequitur *Leur. q. 905.* non im-  
probabiliter hanc facultatem extendit ad Regu-  
lares.

lares. Rationem dat, quia ex privilegiis certum est, Regulares posse dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario dispensat Episcopus, sed in casu necessitatis dispensat Episcopus jure ordinario. Prob. min. quia Episcopus tunc vel dispensat vi officii, vel quia vota tunc non sunt reservata, aut vi universalis consuetudinis, sed quocunque modo dispense, dispensat jure ordinario. De primo & secundo modo patet, de consuetudine etiam docet communis, quod det jurisdictionem ordinariam. Conf. illa potestas, quâ Episcopi urgente necessitate dispensant, non est delegata: ergo ordinaria. Prob. ant. potestas delegata est, quæ non ex lege, officio aut consuetudine, sed ex speciali commissione alterius competit, atque in toto jure ostendi non potest, quod talis commissio Episcopis facta sit, ergo.

QUÆR. V. Quid circa commutationem votorum?

16. R. Tenenda esse seqq. 1. Commutatio voti est translatio obligationis ab una materia in aliam: in opus manifestè melius, hoc est Deo gratus, ab ipso vovente fieri potest; in æquale vel minus bonum solus Superior vel habens privilegium, ex causa commutare potest; minor tamen causa requiritur ad commutationem, quàm ad dispensationem, *Pyrrh. l. 3. t. 34. Barb. in c. 4. de vot. numer. 3.* Ratio est, quod in voto præcipuè attendatur ad id, quod est Deo gratum, si ergo materia, in quam fit commutatio, sit evidenter melior seu Deo gratior, Deus prudenter præsumitur consentire in commutationem, *quia promissum non infringit, qui illud in melius*

*melius commutat, c. 2. de jurej.* Econtra non satis constat, DEUM consentire, ut propriâ autoritate materia voti commutetur in æqualem vel minùs bonam, imò hoc ipso, quòd materia substat voto, est alterâ aliàs æquali melior & Deo grâtiore; in commutatione autem non est spectanda præcisè excellentior virtus, in quam commutetur, sed quod hîc & nunc est utilius ad finem voventis; sic qui vovit flagellationem in remedium castitatis, meliùs erit eam commutare in jejunium quàm orationem, *Tamb. La Croix n. 521.*

2. Ut vota commutentur in evidentè melius, nulla requiritur causa, ut mutentur in æquale, sufficit sola major devotio voventis, vel aliqualis difficultas in exequendo, etsi non sufficiat ad dispensandum; commutatio in æquale vel minùs bonum, si fiat absque omni causa, etiam à Superiore, est invalida, *Castropalao p. 17. n. 4.* quia Deus nemini dedit potestatem voti obligationem remittendi sine causa & irrationabiliter.

3. Qui potestatem habent commutandi & non dispensandi, non possunt votum commutare nisi in æquale; nam si in minus mutetur, hoc ipso quoad partem dispensatur.

4. Omnes, qui possunt dispensare, etiam possunt vota commutare, non econtra; nam in novissimis Jubilæis datur omnibus Confessariis approbatis potestas quælibet vota & juramenta, præter castitatis & Religionis, commutandi, non verò dispensandi. 17.

5. Quicumque habent potestatem vota dispensandi vel commutandi, eandem etiam habent ad juramenta & vota jurata.

Ggg

6. Ju-

*R. D. Jansen Theol. Morgl. Tom. I.*

6. Juramenta & vota in favorem tertii facta ante acceptationem dispensari & commutari possunt, secus si jam fuerint acceptata, quia tunc alter jus acquisivit, quo invitatus privari non debet, nisi bonum commune aliud exigat, aut promissio injusto metu vel dolo sit extorta; addunt *Rodrig. Fagundetz, Burghab. cent. 2. Cas. 25.* & alii cum *Sporer num. 113. Reiffenst. n. 52.* juramenta & vota etiam ab homine acceptata dispensari posse, si principaliter facta sint DEO, ut si quis amore DEI promittat alere hunc pauperem, ornare hanc Ecclesiam, vel fratri suo promittat intrare Religionem, quia tunc principalis creditor est Deus; sed à communi sententia non recedo, quia Deus non vult remittere promissionem sibi factam cum injuria tertii.
7. Vota reservata sicut dispensari non possunt, ita nec commutari, nisi quoad circumstantias, ut dixi n. 9.
- 18 8. Sicut dispensatio, ita & votorum commutatio probabiliter fieri potest extra confessionem; Nec obstat, quòd in Bulla Jubilaei addi solet: *Confessionibus auditis valeat absolvere à peccatis, & commutare vota;* nam tò auditis confessionibus refertur ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur, non verò ad commutationem votorum, *Viva, La Croix num. 507.*
- 19 9. Qui ab habente potestatem impetravit commutationem voti, si malit, potest redire ad prius votum, quia commutatio in ejus favorem facta est, non tamen tenetur redire, etiam si materia nova facta esset inutilis vel impossibilis etiam ex culpa votantis, v. g. loco disciplinæ

næ impositum est jejunium, si non potes jejunare, non teneris ad disciplinam, quia jam prior obligatio sublata est, *Laym. Sporer n. 135.*

10. Omnia vota personalia propriâ auctoritate mutari possunt in votum Religionis tanquam evidenter melius & DEO gratius; si tamen expost Religionem ingredi non possis, reviviscunt priora vota, quia hæc commutatio propriâ auctoritate facta non tollit omninò obligationem prioris vinculi, *Tamb. hic §. 7. n. 6.* 20.

11. Per professionem Religiosam ipso jure commutantur & extinguuntur omnia juramenta & vota non solemnia, tam realia, quam personalia, etiam reservata, etsi vovens de hac commutatione nihil cogitaverit, *Barb. in c. 4. de vot. n. 2. Pyrrhing num. 28.* Item per Professionem in Religionem laxiorem extinguitur votum ingrediendi strictiorem, quia est votum simplex, *Sanch. l. 5. mor. c. 5. num. 16.* Pontas V. *Votum Cas. 31.* peccat tamen, qui contra votum Religionis strictioris ingreditur laxiorem, nisi strictior ipsi sit inconveniens; Excipe sola vota homini vel Ecclesiæ facta & acceptata, quæ per professionem non extinguuntur, quia Deus non acceptat Professionem cum injuria seu derogatione juris tertio quæsiti, *Sanch. n. 40. Pyrrh. l. cit.* 21.

12. Vota pœnalia dispensari & commutari possunt, non tantum quoad se, sed etiam quoad pœnam jam debitam, v. g. vovisti dare eleëmofynam, quoties te inebriaveris, & votum ipsum, & eleëmofynæ jam debitæ ex causa dispensari & commutari possunt: idem est, si quis indies vovit orare Rosarium, quod à longo tempore intermisit; Regularis privilegiatus im-



positâ salutari pœnitentiâ pro transgressione, in ipso voto orandi & in Rosariis neglectis dispensare poterit, *Nav. Sanch. Laym. n. 26.*

23. 13. Qui vovit non petere dispensationem vel irritationem voti, adhuc potest facere commutationem; item qui vovit non petere irritationem, vel contrâ, quia hæc sunt valde distincta, attendenda tamen est intentio voventis, qui fortè non distinxit inter dispensationem, irritationem & commutationem, sed simpliciter vovit, manere in suo voto; si absolutè vovit, non petere relaxationem pro quocunque casu etiam necessitatis, votum est nullum, quia tunc melius est petere, quàm non petere; secùs si voverit, non facilè petere, aut non petere nisi cum consilio Confessarii, tunc, si perat absque gravi causa vel consilio Confessarii, relaxatio & commutatio valebit quidem, sed peccabit contra votum. De commutatione votorum plura dicam *Cas. 102. quest. 4. per totum.*

## C A S U S LXXII.

### De Horis Canonicis.

**A** Madæus Subdiaconus querit. 1. Quid sint *Horæ Canonicae*? & quas *Horas* teneatur recitare die *Ordinationis*; quid si ordinatus sit ex metu, aut impubes, vel dubitet de valore *Ordinationis*. 2. An professi obligentur extra *Chorum*. 3. Quot persone requirantur ad *Chorum* & utrum satisfieri possit per *seculares*? 4. Qualiter obligentur *Beneficiati*. 5. An habentes *Capellaniam Laicam*, *Coadjutores*, *Vicarii*, *Pensionarii*, *Canonessa*